

suos, ut dum extremæ ejus impietati in pervertenda clarissima Scripturæ Sacræ Litera Asylum quærere conantur, infinitam Dei sapientiam, à quo mens humana recte ratiocinandi accepit principia, ludibrio exponere non vereantur.

Conclamatum ergo de infinita Dei sanctitate est, si infinitæ Scientiæ & Sapientiæ defectu laborare Deus ita arguitur.

§. X. III. Quicumque decreto suo & actuali operatione ad peccandum physice & irresistibiliter determinat, ille non est sanctus.

Deus, stante absoluto Electionis decreto, ad peccandum decreto suo & actuali operatione physice & irresistibiliter determinat.

E. Deus, stante absoluto Electionis decreto, non est sanctus.

§. XI. Major est evidentissima.

Minor Probatur.

(1) Cum absoluto Electionis decreto indivulso nexu coheret absolutum Reprobationis decretum. Unde quemadmodum, Deus eos, quos eligit, decreto suo & actuali operatione ad fidem physice & irresistibiliter determinat, ut ad salutem, ad quam eos absolute eligit, perveniant, sic eos, quos reprobat, decreto suo & actuali operatione ad peccandum physice & irresistibiliter determinat, ut ad damnationem, ad quam eos absolute destinavit, pertingant.

§. XII. (2.) Decretum Electionis exinde à Røellio absolutum esse statuitur, quia omne Dei decretum, ut sic spectatum, à causa impulsiva externa absolutum est. Omne autem decretum Dei absolutum est determinativum. Ergo decretum Reprobationis determinativum est, adeoque & decreto, quo homines quosdam reprobat Deus, & actuali operatione, qua decretum determinativum exequitur, eos, quos reprobat, ad peccandum physice & irresistibiliter determinat.

§. XIII.